

2925

LITURGICI

2926

imaginem nobis predicant resurrectionis. Sol cotidie nostris oculis oritur. cotidie resurgit. Stellę matutinis horis occidunt. uespere resurgunt. Arbusta estiuus temporibus plena foliis. floribus. fructibus. quę uidemus. quę hiemis tempore. nuda foliis. floribus ac fructibus. quasi arida remanent. Sed uerno redeunte. cum a radice humor surrexit. suo iterum decore uestiuntur. Cur ergo de hominibus diffiditur. quod fieri in ligno uidetur. Plura dedi, ut Eruditi de hoc Sermone viderent, quem neque apud Augustinum, nec apud alios, quos inspexi, reperi. Argumentatur ille deinceps a reparatione Arboris per Semen, a formatione ipsius hominis, quem in matris utero sanguinis spumam vocat &c. et perorat: Mundemus nos cotidie ab omni inquinamento carnis et spiritus. ut ad illam incorruptibilem resurrectionis gloriam pertinere mereamur. In Christo ihesu domino nostro. qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto deus per omnia secula seculorum. Amen.

DCCCVIII.

409 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. nunc 113. 4. luculento charactere exaratus, rubricisque decoratus est Sacramentarium Gregorianum. Praeit Calendarium duabus columnis, quod tamen aevo, situque mutilatum a medio nunc Julio superest. In mensibus residuis dies plurimi Sanctorum Nominibus vacant. Diem III. Non. Nov. Pirminius abbas,

XV. Kal. Dec. Augustinus episcopus tenet. Sequitur char. quadr. Titulus: *Incipit Liber Sacramentorum Dei Per Circulum Anni Feliciter.* Hunc excipit *Confessio Sacerdotis*, cuius initium: *Ante conspectum diuine maiestatis tuae reus adsisto. qui inuocare nomen tuum sanctum presumo &c.* et deinceps *Missa*, ut in edit. *Muratorii T. II. Venet. 1748. col. 7.* incipiendo *In Vigilia Natalis Domini* usque ad *Dom. IV.* cui tamen non additur in inscriptione, *Adventus.* Notabo quasdam differentias. Tres *Missa* in *Nax. Dom.* inscribuntur: *In Primo Gallicinio. Primo Mane. In Die.* In *Missa* secunda *Oratio Ad Sanctam Anastasiam* postponitur *Orationi* de Natali. Post diem *Jobannis Evang.* plura folia e *Cod.* exciderunt usque ad *Festum S. Agathae.* Post hoc statim inferuntur *Missa Dom. V. VI. et VII. post Theophaniam*, quae apud *Murat.* sunt *col. 160. IV. V. et VI. Kathedra S. Petri et ad Sanctum Benedictum* desunt in *Murat.* In *Anuntiatione S. Marię* deest nobis *Oratio: Deus qui hodierna die &c. Feria IV. post Quinquag. deest Muratorio Praefatio, item Missa Sabbati.* Nobis vero post hanc unum rursus folium deperiit. In *Sabbato XII. Lectionum* nobis desunt *Orationes: Deus qui nos in tantis &c. et: Quaesumus omnipotens Deus &c. Muratorio vero Super populum Oratio: Fideles tuos domine &c. Missa nostra Fer. V. post Dom. III. Quadr. alia est a Muratoriana usque ad Orat. super*

D d 2

super Populum. Benedictio in Palmis non habetur in Murat. neque in Nostro Confectio Chrismatis. Feria VI. majore Orationibus in Murat. col. 57. Noster praemittit Orationem, Lectionem, Graduale, Orationem, Lectionem et Passionem. Missam in Sabbato Sancto praecedunt in Nostro Benedictio Ignis, Benedictio Cerei, et Oratio dicenda ante Lectionem: Deus qui diuitias misericordie tue &c. deinceps Lectiones et Orationes cum Murat. congruunt. Dom. Paschatis abest a Nostro Oratio ad Sanctum Andream. Item Fer. II. ad Fontes et ad S. Andream, uti et Fer. V. VI. et Sabb. Plures etiam ex Orationibus post Dom. in Albis conglobatis Noster ignorat, qui statim deinde per Dominicas procedit, quas II. III. IV. V. et VI. post Albas inscribit, quaeque habentur Murat. col. 162. prima demta, cujus Oratio: Omnipotens sempiternus deus dirige actus nostros &c. Hinc ad Natale SS. Tyburtii et Ual. rursus conveniunt. In Letania majore abest a Nostro secunda Oratio in Atrio, a Murat. vero altera Missa, item Inuentio Sanctae crucis et a Missa S. Pancratii nomen Nerei et Achillei. Festum S. Urbani in Nostro praecedat Ascensionem, cujus Vigiliam non celebrat Murat. et Dominicam infra Octav. trajicit ad Dominicas post Pentec. col. 164. Orationum in Sabb. ante Pent. numerus nobis contractior est. In Exemplo Murat. desunt Missae SS. Primi et Feliciani, Basilidis, Cyrini Naboris et Nazarii, Qua-

tuor Temporum, Gervasii et Protasii, sed in Natali S. Johannis Bapt. tribus Orationibus plures ibi numerantur, item in Die Apostolor. Petri et Pauli quatuor. Abest ibi Missa Jacobi Apost. Missa SS. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis nobis duplices Orationes habet. Natalis S. Bartholomaei Apost. non est apud Murat. nec Decollatio S. Joh. Bapt. nec Natalis S. Adriani Mart. In Missa S. Eufemiae folium nobis excidit. Apud Murat. Missae de Vigilia et Festo S. Mathei Apost. item S. Mauritii et Socior. desunt. Item Nat. Sancti Leudegarii, SS. Sergii et Bachii, quem nobis excipit Missa in Dedicatione Ecclesiae, SS. Dionisi, Rustici et Eleuth. S. Lucae Evang. et Vigilia S. Symonis et Judae, post quam Codex rursus folii iacturam fecit. Missam in Nat. SS. Omnium Muratorianus non habet, nobis in eandem diem cum Missa S. Caesarii ponitur. In Festo S. Andreae Apost. duabus Orationibus minus habemus. Post Natal. S. Thomae Apost. sequuntur Missae in Vigilia et Natali unius Apostoli, plurimorum Apostolorum, unius et plurim. Confessorum, unius et plurim. Martyrum, et in Natali Virginum, quae non prorsus cum Muratorianis col. 179. consonant. Dein Missa cottidiana omnium Sanctorum, Murat. col. 182. et alia diversa. Missae illae notae per Hebdomadam de Sancta Trinitate, aeterna Sapientia, S. Spiritu &c. quas non habuit Exemplar Murat. Orationes pro peccatis et Vesper-

2929

LITURGICI.

2930

Vespertinae uel Nocturnae, quarum priores habentur *Murat. col. 246.* posteriores *col. 258.* Atque nunc tandem succedunt *Missae Dominicales post Pentecosten*, ut sunt apud *Murat. col. 164.* et *Dominicales per Adventum cum quatuor temporibus*, ut *Murat. col. 133.* Finem faciunt *Missae: Pro Pace. Pro Caritate. In Tempore Belli. Pro Rege. Pro Episcopis uel Abbatibus. Pro cuncta Congregatione, Pro Fidelibus. Communis. Pro Familiaribus. Uiuorum ac Mortuorum triplex. Pro Elemosina. Pro Petitione Lacrimarum. Pro Temptationibus. Pro Iter Agentibus. Pro Amico Uiuo triplex. Pro Infirmis. Missa Fidelium* abrupta. Hae pae-ne omnes sed alio ordine, et saepe aliter inscriptae reperiuntur apud *Murat. saepe cit. col. 187 — 224.*

E *Gallia* aut *Belgio* olim allatum *Codicem* uero simile facit *Missa in Natali S. Leudegarii* supra adducta.

DCCCIX.

¹⁵⁴ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. et XV. Folior. 316. f. quorum tamen multa vacua sunt, est *Liber Collectaneorum variorum theologici argumenti*, quae more nostro indicabimus. I. Incipit ordo ecclesiasticus Romane ecclesie: vel qualiter missa celebratur. Initium: *Primum omnium obseruandum est: septem esse regiones &c.* Finis: *et intrat in secretarium.* Habetur in *Melch. Hittorpii L.*

de div. Cath. Eccl. Off. Colon. 1568. p. 9. f.

II. fol. 19. *Sequentiae et Hymni ecclesiastici complures*, praetextis saepe *modulis musicis*, maximam partem *Natalem Domini* celebrantes, hinc inde etiam re-fecti, sed antiquioribus collati garruli et elumbes. Videntur cujusdam *Ludi Magistri in Bohemia* vel *Moravia* Opus; nam fol. 71. p. 2. *Strophæ* etiam *bohémica* legitur.

III. fol. 191. incipiunt *PP. et Scriptorum ecclesiasticorum Loca collecta de Communione* sub utraque specie, clara recitatione uerborum *Institutionis sacrae Coenae*; lingua populari in *Sacris*, *Iustificatione*, *Ritibus*, *Caelibatu*, *Purgatorio*, *Poenitentia* et *Confessione*, *Constitutionibus Ecclesiae* et *autoritate Conciliorum*, extrema *Unctione*, *Matrimonio*, *Monachatu*, *Votis*, *Jejunio* et *delectu Ciborum*, et de *Haereticis*. *Collectio* haec ab homine dissidente ab *Ecclesia Rom.* facta videtur. Inter alia p. 214. locus prolixus de cultu *SS.* adfertur ex *Libello*, cui *Titulus Speculum Antichristi*, quem *Job. Wiclefi* arbitror.

IV. fol. 239. Incipiunt *Orationes de Septem poenitentialibus psalmis*. Margini adscriptum: *Alcuini esse creditur.* Habetur in *Collectione Precum Ecclesiasticarum*, *Opp. Georgii Cassandri* p. 315. *Paris. 1616. f.*

V. fol. 241. Sequuntur *Hymni*, qui nunc quoque in *Horis Cano-*